

Cornelius a Lapide in cit. cap. Gene-
seos ad citata verba: *iste coepit in-
vocare nomen Domini.*

50. Haec sunt, quae operaे pretium
esse censui adnotare, ut firmum ma-
neat romanorum Pontificum assertum,
qui s. Dominicum appellant auctorem
et institutorem Rosarii et solum pro
mei incumbentia muneris insinuabo:
*an expeditat prima illa lectione se-
cundi nocturni, in qua recensetur in-
stitutio Rosarii, aliquam apponere
qualificationem seu modificationem,*
*ex. gr. ut pie creditur, in ea signan-
ter parte, in qua dicitur, s. Dominici-
cum fuisse a Beatissima Virgine ad-
monitum, ut Rosarium praedicaret
tamquam singulare praesidium ad
haereses debellandas et vitia extin-
guenda.*

56. Contra hanc additionem facere
posse videtur, quod in ea lectione
habetur relatio ad illas constitutiones
rom. Pontificum, in quibus s. Dominicus
dicitur auctor et institutor Rosarii,
in quo rerum statu additio haberi pro
superflua.

57. Haud urgente, quod in consti-
tutione s. Pii V. eadem habetur ad-
ditio necnon in altera Sixti V., uti
videri potest in superiori §. 18 et
§. 20, quia in constit. 63. s. Pii V.
Bull. tom. 2., ubi narratur factum
approbationis doctrinae s. Thomae ex
ore Salvatoris Crucifixi, habentur haec
verba: *Sicut pia testatur historia et
hoc ipsum factum est insertum in
lectione 5. officii s. Thomae pro Ec-
clesia universalis absque dicta modi-
ficatione, ibi: „Neapoli cum ad ima-
ginem Crucifixi vehementius oraret,
hanc vocem audivit“: Bene scripsisti
de me Thoma, quam ergo mercedem
recipies.*

58. E contra pro additione facit,
quod ea formula est inserta in binis
constitutionibus supracitatis rom. Pon-
tificum, ad quas lectio refertur et sacra

haec Congregatio, quae die 7. Augusti
1723 approbavit pro Ecclesia caesar-
augustana lectiones, in quibus refertur
B. Mariam Virg. apparuisse s. Jacobo
apostolo et sanctum in ejus honorem
Ecclesiam aedificasse, mandavit, quod
praedicta formula insereretur, ex quo
Callixtus PP. III. et Clemens PP. VII.
in suis Bullis, in quibus dictamappa-
ritionem narraverunt, consimilem for-
mulam adhibuerant.

59. Crescitque discursus, cum hu-
usque nostra hac tempestate proces-
serit criticandi cacoethes, ut non ob-
stante, quod ab hac S. Congregatione
plurimae et plurimae fiant diligentiae
super veritate historiarum, quando con-
ceduntur lectiones propriae, non de-
sint tamen, qui dicant, ex lectionibus
licet ab hac S. Congregatione approba-
tis non desumi argumentum pro veri-
tate historiae, quae in illis exponitur.
Continuatores etenim Bollandiani tom. 3.
mensis Julii loquentes de lectionibus
concessis anno 1670 ab hac S. Con-
gregatione in honorem s. Dominicae
virginis et martyris sic loquuntur:
*Sacra Congregatio non solet respon-
dere pro veritate historiae sibi ob-
latae, sed potissimum dijudicare, an
nihilum in illis sit, quod a communi
fidelium sensu abhorreat aut sacris
canonibus in Breviario rom. prae-
scriptis aduersetur.*

60. Caetera, quae in lectionibus
exhibitib[us] SSmi Rosarii pro Ecclesia
universalis adnotari possunt vel circa
latinum sermonem vel circa earum
prolixitatem, ad me non pertinent sed
ad eminentissimum relatorem et ad
hanc S. Congregationem, ad quos id-
circo remissive me habeo.

Atque haec dicta sunt sub censura
etc., salva semper etc.

Prosper Archiep. Theodosiae
fidei promotor Lambertinus.
(Anal. J. P. 1860 p. 1381.)

Officium et missam de Rosario pro
PP. Praedicatoribus privative appro-
bata non posse concedi aliis extra
eorum Ordinem et proinde a Capitulo
et Clero Limaō recitari non posse,
etiam quod B. V. M. SSmi Rosarii sit
Patrona totius regni. n. 2414 ad 2
die 16. Apr. 1667.

Gregorius PP. XIII.

Nos tenore praesentium decernimus,
ut de caetero perpetuis futuris tem-
poribus a die 7. Octbr. 1572 contra
Turcas impletam victoram qualibet
prima die dominica Oct. per universi
Orbis partes in iis ecclesiis, in qui-
bus altare vel capella Rosarii fuerit,
ab omnibus et singulis utriusque sexus
Christifidelibus festum sol. sub nun-
cupatione Rosarii B. V. M. sub dupl.
maj. officio celebretur eademque die
off. de B. V. M. 9 ll. more eccles.
persolvatur.

Romae die 1. Apr. 1573.

Festum et Off. SS. Rosarii B. V. M.
Clemens XI. extendit ad Ecclesiam
universalem sub ritu dupl. maj. de
praecepto, quolibet anno recitandum
in prima dom. Octbr., ut videre est
in ejusdem Pontificis Bulla, quae incipit:
*Cum alias etc. et habetur sub
n. 25. in Bull. partic. dicti Pontificis.*

S. R. C. 3. Oct. 1716.

(Vd. etiam Bull. r. t. VIII. p. 440.
Ed. Luxbg.)

Pius PP. VII.

Cum, sicut venerabilis frater Petrus
Antonius Episcopus Cordubensis Nobis
nuper exponi fecit, ipse ad augendam
in Deiparam devotionem, cultum et
venerationem in dies augeri summo-
pere desiderent, Nobis propterea hu-
militer supplicari fecit, ut sibi in
praemissis opportune providere et ut
infra indulgere de benignitate aposto-
lica dignaremur.

Decreta authentica. Tom. III.

Nos igitur ipsos exponentes specia-
libus gratiis et favoribus prosequi vo-
lentes supplicationibus hujusmodi in-
clinati, ut in cathedrali ecclesia Cor-
dubensi officium dupl. secundae classis
in solemnitate SSmi Rosarii recitari
libere et liceat possit, auctoritate apo-
stolica tenore praesentium concedimus
et indulgemus.

Datum Romae die 16. Jun. 1806.
(Bull. r. Contin. t. XIII. p. 32.)

16) Ritus recitandi.

Ariminen.

Rme Domine uti Frater.

Amplitudinis Tuae consilium exe-
quens Sacerdos Marianus Cerri paro-
chus ecclesiae s. Mariae in Corte istius
Ariminen, civitatis, S. hanc R. C. sup-
plex adivit enixeque rogavit, ut de-
clarare dignaretur: Num servanda sit
immemorabilis consuetudo in eadem
ecclesia ordinis Praedicatorum, summo
mane cujuslibet diei recitandi Sacra-
tissimum Rosarium B. M. V. et post
ipsum dimittendi populum fidelem cum
benedictione SSmi Sacramenti in s. py-
xide acclusi ac in festis cum osten-
sorio, quod in summitate non habeat
Crucem a Rubricis requisitam, quin
neutro in casu Sacramentum ipsum
tam in pyxide reclusum quam in osten-
sorio apprens thurifictetur? Quae sin-
gula dum fideliter de more referebat in
Ordinariis S. R. C. Comitiis ad Quiri-
nale hodie habitis subscriptus Secre-
tarius, Emi et Rmi P. S. tuendis Ritibus
praepositi, quamvis praenoscerent haec
singula ab ordinaria facultate Ampli-
tudinis Tuae pendere, attamen satius
duxerunt respondere: „Scribatur Epi-
scopo ad mentem.“ Mens itaque S. C.
est, ut Amplitudo Tua quoties nil in-
conveniens deprehendat qnoad horam
praesertim hyemali tempore, permittat
continuationem hujusmodi piorum exer-

citorum in Deiparae honorem; nam omissio incensationis conformior est Ecclesiae praxi in benedictione cum s. pyxide, requiritur tamen omnino, quum impertitur benedictio cum ostensorio, ac proinde illam hoc in casu exigat, ac pariter exigat ut in summate ostensorii Crux visibilis apponatur, quod requirunt ecclesiasticae leges, non obstante consuetudine ordinis Praedicatorum, cui peculiaris est ritus in explendis s. caeremoniis. Quae singula dum nomine S. C. Amplitudini Tuae communico, diu felix et incolmis vivat. n. 5112.

Romae 11. Sept. 1847.

Rmo D. uti Fratri Episcopo Arimin.

Confraternitati SS. Rosarii Forosempren. resp. S. C.: Esse tolerandum usum recitandi s. Rosarium cum Litaniis B. V. M., nempe si in dicendo Ave Maria per modum continuationis replicetur Jesus S. Maria; et si in fine Litaniarum dicatur Regina s. Rosarii, ideoque non posse prohiberi. n. 2741 die 13. Julii 1675.

17) Tempus recitandi.

Rosarium esse recitandum post Vespas.

n. 2444 ad 4 die 9. Junii 1668.

Ad dubium: An in diebus festivis possit recitari Rosarium in Oratorio Confraternitatis s. Rosarii Burgi ante Vespas celebrandas in Ecclesia parochiali? S. C. resp.: Affirmative, et quoad tempus arbitrio Ordinarii.

n. 3910 ad 9 die 9. Julii 1718.

18) Translatio festi.

Vd.: *Missa de Rosario.*

Ad preces Caeremoniarii Cathedralis Conchen S. C. declaravit: Transferenda est festivitas Rosarii ad primam diem

non impeditam Officio 9 LL., quando in 1. dom. Octobr. occurrit octava dedicationis Cathedralis. n. 2602 ad 1 die 3. Sept. 1672.

Quando festum B. V. M. de Rosario, quae in dominica decernitur celebrandum, impeditur aliquo festo dupl. 1. vel 2. cl. vel dupl. maj. vel de Octava, eo anno omittendum est vel recurrendum pro assignatione alterius dominicae ad S. R. C. n. 3040 ad 4 die 20. Novbr. 1683. n. 3565 ad 6 die 19. Junii 1700.

Festum ss. Rosarii B. V. M. occurring cum dedicatione Cathedr. Varmiensis transferendum est ad primam diem non impeditam juxta rubricas Brev. rom. n. 4302 ad 1 die 3. Mart. 1761.

Olomucen.

Quum Rmus Olomucen. Archiepiscopus S. R. C. sequentia dubia propo-suerit pro opportuna declaratione, nimurum:

1. An festa ss. Rosarii, maternitatis et puritatis Deiparae dominicis I., II. et IV. Oct. in Kalendario Olomucen. assignata, impeditis iis dominicis, transferri debeant in dominicam aliam sequentem non impeditam usque ad Adventum, et demum, si non supersit talis dominica, in diem sequentem similiter non impeditam, sicut declaravit S. R. C. pro festo septem dolorum B. M. V.?

2. An haec ipsa festa simpliciter transferri possint juxta regulas translationis?

3. An eadem festa eo anno penitus omitti debeant?

S. eadem C. in Ordinariis Comitiis hujus diei Vaticanum coadunata ad relationem subscripti Secretarii respondendum censuit post diligens examen horum dubiorum:

Ad 1.: Negative in omnibus.

Ad 2.: Affirmative quoad festum ss. Rosarii tantum.

Ad 3.: Affirmative quoad alia dua festa maternitatis et puritatis Deiparae.

Atque ita rescribere rata est ac proposita dubia declarare.

n. 5213 die 21. Julii 1855.

Pius PP. VI.

Cum, sicut dilecti filii Rector ac Deputati Collegii majoris nuncupati civitatis sanctae Fidei de Bogota sub titulo ss. Rosarii Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi pro eo, quem erga B. M. V. de Rosario gerunt devotionis affectum, festum ejusdem B. M. V. de Rosario ad diem 18. Decembris cum celebratione missae votivae ejusdem festi in eorum ecclesia quotannis transference, necnon ut in eadem ecclesia celebrari possit Sabbato sancto post missam solemnem alia missa lecta vel votiva ejusdem B. M. V. de Rosario vel saltem de tempore, plurimum desiderant, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur, Nos igitur dictos exponentes specialibus gratis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, ut in posterum festum tantummodo SS. Rosarii praedicti ad diem 18. Decembris quotannis in ecclesia dicti Collegii transferri et licite valeat, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae 29. Julii 1788.

(Bull. r. Continuatio t. VIII. p. 207. Ed. Rom. 1843.)

19) De SS. Trinitate.

Ad humillimas preces Procuratoris generalis ordinis Praedicatorum SSMo D. N. PP. Clementi XI. porrectas, in quibus enixe supplicabatur pro pro-

hibitione cujusdam novi Rosarii, quod in honorem SS. Trinitatis Patres Religionis SS. Trinitatis Redemptionis captivorum in eorum ecclesia B. M. V. Conventus Tolosani recitare introduxerant, edito liberculo gallico idiomate impresso, in quo methodus recitationis edocetur, eisque a SSMo D. N. ad S. R. C. remissis,

S. eadem R. C. ad relationem Emi et Rmi Dom. Card. de Abdua, auditio prius Procuratore gen. Patrum supradictae Religionis SS. Trinitatis et successive D. Prospero Lambertini s. consistorialis aulae Advocato, et Rmi D. Archiepiscopi Myren. Fidei Promotoris Coadjutore, in scriptis et in voce auditio: „Rosarium, de quo agitur, prohibendum esse censuit, et quoad liberculum gallico idiomate desuper impressum remisit instantiam ad S. Indicis Congregationem.“

n. 3844 die 21. Nov. 1711.

20) Triplicatum b. Joannae Vallesiae.

DECRETUM.

SSmus D. N. Benedictus PP. XIV. omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui quotidie per integrum mensem coronam b. Joannae Vallesiae, triplicatum Rosarium nuncupatum, devote recitaverint, semel intra eundem mensem, die nempe ab unoquoque ad sui libitum eligenda, in qua vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti, ac pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam consequi valeant, iis vero, qui in singulis feriis sextis Quadragesimae singulisque septem B. M. V. festivitatibus, ut supra, dictam coronam recitaverint, septem annorum totidemque quadragenarum, ac tandem pro qualibet ejusdem co-

ronae devota recitatione Indulgientiam centum dierum in perpetuum benigne concessit, revocatis omnibus et singulis aliis Indulgentiis, quae pro ejusdem coronae recitatione asserebantur concessae.

Declaravit insuper Sanctitas Sua, ut quis consequi possit praefatas Indulgencias, requiri, ut corona sit de more benedicta a Superioribus ordinis Annunciationis B. M. V. sub regula s. Francisci a Sede apostolica approbati vel a quolibet Confessario ordinario monialium ejusdem ordinis, et propterea eisdem Superioribus et Confessariis dictas coronas benedicendi facultatem tribuit et impertitus est.

In distribuendis vero hujusmodi coronis eorumque usu Sanctissimus servari jussit Decretum fel. record. Alexandri PP. VII. editum sub die 6. Febr. 1657 nimirum, ne hujusmodi coronae utpote benedictae vendantur aut alteri commodentur aut precario dentur, alioquin careant Indulgentiis jam concessis, et, aliqua ex eis deperdita, alia subrogari nullo modo possit, nisi a quibus supra benedicta fuerit.

Datum Romae die 6. Martii 1706.

Loco + Sigilli.

Fr. J. Card. Portocarrero Praefectus.

Ae. E. Vicecomes

S. C. Indulg. Secretarius.

(Anal. J. P. 1857 p. 2326.)

ROTULUM.

(Partitio inter Cardinales.)

De rotuli partitione inter S. R. E. Cardinales in Urbe residentes tantummodo facienda, deque non residentium accessu ad curiam atque recessu etc.

Benedictus PP. XIV. ad futuram rei memoriam.

In regimine universalis Ecclesiae, quod superna dispositione omnipotens

Deus Nobis, licet immeritis, commisit, illius rei cura animum nostrum assidue exercere solet, ut quid deceat et quod aptum sit personis, sedulo prospiciamus et in id vires nostras auctoritatemque conferamus, ut pro dignitate munera offici et laboris suum unicuique jus constanter et perpetuo tribuatur.

§. 1. Quoniam autem ex ea tempore, quo Nos in minoribus constituti Romae versantes apostolicae huic sanctae Sedi nostram operam studiumque pro viribus nostris impendebamus, a praeclarissimis viris improbari saepius audivimus eam consuetudinem, ob quam nonnulli S. R. E. Cardinales longe ab alma Urbe nostra degentes, bis per annum ad illam ventilabant ibique ignoti plerumque et spatio paucorum dierum permanebant, ut cum reliquis S. R. E. praefatae Cardinalibus Romae commorantibus in partem „rotuli“, vulgo ut dicitur, admitterentur, nempe ut acciperent partem seu portionem illius pecuniae, quae veluti quoddam laborum stipendum distribui solet ejusdem S. R. E. Cardinalibus praedictis, qui non sine incommode ad Consistoria, Congregationes et ad sacellum Pontificium, ubi sacra mysteria celebrantur, convenientur.

§. 2. Haec praestantium virorum opinio menti nostrae adeo adhaesit, ut cooptati inter ejusmodi S. R. E. Cardinales a fel. rec. Benedicto PP. XIII. Praedecessore nostro et Ecclesiae Antonitanae regendae ipsius Benedicti Praedecessoris beneficio praepositi ac deinde a rec. mem. Clemente PP. XII. itidem Praedecessore nostro ad metropolitanam ecclesiam Bononiensem auctoritate apostolica translati, nunquam spatio duodecim annorum Romanam venerimus, ut dicti rotuli fructum seu portionem perciperemus, nec sedes nostrae curae commissas unquam de-

seruimus, nisi causa comitiorum, quae bis interea temporis indicta fuerunt eisdem Cardinalibus, ut novus Pontifex de more crearetur. Statim vero atque ad summum apostolatum licet immerentes evecti, normam aliquam super hac re praescribendam censimus; sed tunc executioni minime demandandam esse existimavimus, eo quod perpauci Cardinales Roma absentes numerarentur, qui proficisci ad urbem commode possent, ut eamdem Rotuli portionem seu partem deposcerent. Accedebat etiam, quod numerus eorumdem Cardinalium Romae degenitum, pluribus vita functis, adeo immutatus fuerat, ut ipsi solum exiguo detimento afficerentur, etiamsi absentes pro comparanda sibi rotuli partitione ad Urbem se conferrent. Attamen cum multi a Nobis sacro Collegio Cardinales adscripti fuerint et numerus absentium Cardinalium, qui bis per annum Romam venire fortasse deliberarent, ut rotuli partem assequerentur, excrevit, et cum plures, quam antea, Cardinales modo in Urbe praedicta commorentr, quibus procul dubio gravius damnum inferretur, si veteri instituto pars ejusdem rotuli Cardinalibus absentibus tribui deberet, qui statis anni temporibus ob hanc causam Romam accederent; ideo consilium a nobis jam antea initum, probantibus nonnullis ex dilectis filiis nostris ejusdem S. R. E. Cardinalibus, executioni tandem demandandum esse decrevimus.

§. 3. Ea propter motu proprio ac ex certa scientia et matura deliberatione nostris deque apost. potestatis plenitutine, primum ea omnia, quae caeventur et praescribuntur in Constitutionibus dicti sacri Collegii Cardinalium, et usque in hanc diem observari consueverunt quoad Cardinales de latere legatos, tenore praesentium confirmamus, ac insuper illos Cardi-

nates rotuli fructu omnino carere statuimus et decernimus (licet bis per annum Romam accesserint), qui longe ab Urbe praedicta detinentur, quamvis id facere necesse sit, ne sedes archiepiscopales aut episcopales deserant, quas administrandas acceperunt et quamvis etiam praefecturam aliquam sive quodcumque aliud munus a sede praefata sibi demandatum gerant, sine episcopali vel cum episcopali dignitate conjunctum, quod, si Roma absentes retinent, ejus certae naturae et conditionis esse existimat, ut cum ipsorum absentia copulari et sine eorum praesentia, romani Pontificis vigilantia et auctoritate facile possit administrare. Cum vero Cardinales absentes pro suis negotiis expediendis aut legitimam ob causam ad Urbem se contulerint, veterem consuetudinem et institutum servari volumus, praecipimus et mandamus, nempe ut rotuli partem capiant, habita ratione temporis, quo Romae versantur; ea tamen lege obstricti, ut Nos seu romanos Pontifices pro tempore existentes adeant, nec ab Urbe discedant, antequam a Nobis seu romanis Pontificibus successoribus Nostris abeundi facultatem obtineant. Illos autem, qui sui muneri obliti (quod vix fore credimus) aliter se gesserint, non solum ab omni parte rotuli percipienda penitus exclusos decernimus, sed praesentibus nostris literis (quatenus opus sit) obnoxios esse declaramus censuris ac poenis, quas piae mem. Joannes PP. XII. pariter praedecessor noster irrogavit in Extrav., quae incipit: „etsi deceat quoslibet subditorum curam etc.“, quam per praesentes pro plene et sufficienter expressam ac de verbo ad verbum insertam habentes, ad modernos et pro tempore existentes ejusdem S. R. E. Cardinales extendimus et ampliamus.